



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1442. usque ad annum 1460

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1768**

**VD18 90118324**

§. 146. Eugenia Papa extrema unctione recepta mortuus

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66507](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66507)

Sæcul. XV. A. C. 1447. *quere, qui transiturus ex mundo ad Patrem, pacem meam, dixit, relinquo vobis. Ego vos omnes præter unum Cardinales creavi, & illum unum quasi Filium tractavi, amavique: omnes mei estis fratres, obsecro dilectissimi, servate vinculum pacis, diligite invicem, non sint inter vos schismata, adimplete legem Christi, & alter alterius onera portate. Mox vacatura est Apostolica Sedes, scitis, quem Virum cupiat hoc solium: eligite Successorem, qui me doctrina, & moribus superet: nulla vos affectio seducat, non privatæ rei, sed publicæ consulite. Ceterum si me audieritis, mediocrem Virum unanimiter, quam præstantissimum discorditer eligitis, ubi pax, ibi & Spiritus Dei est... Verum ne me mortuo, de funere disputetis; quod in ceremoniis Pontificum scriptum est, id solum facite, nemo amplius agat, nec funus adornet meum, absint pompæ & inanis gloria sepulturæ: apud Eugenium III, cuius nomen gero, humili loco sepeliri libet.*

## §. CXLVI.

*Eugenius Papa extrema Unditione recepta, mortuus.*

*Antonin. tit. 22. cap. 12.* **H**æc verba graviter adeo enunciabat Sanctissimus Pater, ut Cardinales a lacrimis sibi temperare haud possent, & aliquamdiu silentio suspensi, tandem Pontificem rogarent, ut Cardinalem Capuanum

num (\*) ab exilio, quo eum multaverat, Sæcul. XV.  
A. C. 1447.  
 revocare vellet; ast illis respondit iisdem  
 Christi Domini verbis ad filios Zebedæi:  
*Nescitis, quid petatis.* His dictis ad se  
 vocari iussit Archiepiscopum Florentinum,  
 qui sibi extremæ unctionis Sacramen-  
 tum administraret, quo vix recepto viri-  
 bus se destitui advertens, oculos clausit,  
 quos ultra non aperuit, vitæ suæ curri-  
 culum emensus die vigesima tertia Fe-  
 bruarii Anno Domini millesimo quadrin-  
 gesimo quadragesimo septimo. Cor-  
 pus ejus sine mora aromatibus conditum  
 in Ecclesia Sancti Petri expositum est,  
 populo ad osculandos ejus pedes certa-  
 tim confluyente, demum prope Eugenii III.  
 monumentum, ut desideraverat, colloca-  
 tum, postea vero ad monasterium S. Sal-  
 vatoris in Lauro Congregationis Cano-  
 nicorum Regularium, in qua olim se Deo  
 devoverat, translatum est. Vixit an-  
 nos sexaginta quatuor, & Sedem Roma-  
 norum tenuit annis sexdecim, demptis  
 duntaxat octo diebus.

## §. CXLVII.

(\*) *Is erat Prosper Columna, de quo Eu-  
 genius ad Cardinales illum ab exilio revocari  
 postulantes dixit: Nescitis, quod vobis deside-  
 rium ejus, & illi exilium magis conveniat.*